

Johann Klein Johannes Schnobelius

De Iustificatione Hominis Peccatoris Coram Deo, Assertiones Theologicae

Rostochi[i]: Pedanus, 1630

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739711067>


Druck Freier  Zugang



Vert. v. F. Schrobilius

F. Klein / a

R. M. theol. 1630.



DE
JUSTIFICATIONE
HOMINIS PECCATO-

RIS CORAM DEO,
Assertiones Theologicæ

De quibus
DEO TER OPT. MAX. ADJUVANTE

PRÆSIDE
JOHANNES CLEINIO,
Sacrarum Literarum in Academiâ

Rostoch. Professore,

Publicè in Auditorio Majori die 24. April.
horis antemeridianis.

RESPONDEBIT
JOHANNES SCHNOBELIUS
Soltquellensis Marchicus.



ROSTOCHI
Litteris Ioachimi Pedani, Acad. Typ:
ANNO M, DC, XXX,

UNIVERSITÄT ROSTOCK

PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT



PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT



PHYSIKALISCHES INSTITUT

PHYSIKALISCHES INSTITUT

IN NOMINE
SACRO-SANCTÆ TRINITATIS.
Disputatio Theologica.

Thesis I.



DE *Iustificazione* Hominis peccatoris coram Deo, gravissimo Christiana religionis negocio, hoc tempore acturi, initio quidem præmittimus talem ejus definitionem: *Iustificatio est actio Dei, quâ Deus hominem peccatorem, pœnitentem tamen, ex merâ gratiâ, propter Christum fide, ex verbo & Sacramentis accensâ, apprehensum, peccatis remissis à penâ absolvit, & Iustitiâ Christi imputatâ justum pronuntiat, ad nominis Divini gloriam, & justificati tranquillitatem & salutem æternam.*

2. *Definitum est Iustificatio, vox sacris tantùm scriptoribus usurpata, vel Bellarm. l. 2. de justific. c. 3. vel Cost. Enchir. contr. cap. 6. pag. 227. iudice. Quam ob causam indagaturi ejus notionem, non ad Etymologiam, cum Salmer. disp. 2. in Ep. ad Gal. nec ad Aristotelem, cum Censor. Col. p. 157. Sed ad fontem omnium sacerorum scriptorum, Scripturas sacras recurrimus; quas qui attenderit, non is diffitebitur, forensi & judiciali significatione hoc loco eam, ubi de Reconciliatione hominis peccatoris cum Deo agitur, accipi debere, sicut sæpè appellaminibus à foro & iudicio desumptis hæc in re describendâ Spiritus S. utitur, ut cum Rei Rom. 3. 19. Debiti Matth. 18. 24. Accusatoris Joh. 5. 45. Testis Rom. 2. 15. Chirographi Coloss. 2. 14, Advocati 1. Joh. 2. 1. Tribunalis Rom. 14. 10. 2. Corinth. 5. 10. Judicis Rom. 2. 2. Absolutionis Psal. 32. 1. meminit.*

3. Sic nempe similiter, *justificare*, non est, ut Pontificij volunt, *expellere peccatum inbarens per succedentem justitiâ infusionem*, Bell. l. 2. de just. c. 2. Sed forensi significato, reum ab intentato crimine

eriminē & poenis, ad quas deposcebatur, absolvere, & justum reputare & pronuntiare, quomodo certè accipitur Prov. 17. 18. cum abominabilem apud Deum pronuntiat justificans impium, id est, impium absolvens & justum pronuntians, sicut 70. rectè per *δικαιον νεκρον* sunt interpretati. Nam ad justitiæ habitum impietate expulsâ deducere hominem, utique non est abominatio coram Deo. Similes locos, ubi vox justificandi, aut cui illa respondet, Hebræum *קִיְיָרִי* eodem sensu accipiat, habes Esa. 5. 23. c. 50. 8. 2. Sam. 15. 4. Deut. 25. 1. Psal. 82. 3. Exod. 23. 7. 1. Reg. 8. 32. 2. Par. 6. 23. Ipsa quin etiam Græca vox, *δικαιον*, est justum censere vel declarare Syr. 7. 3. c. 10. 32. c. 13. 26. Matth. 12. 37. Luc. 7. 29. c. 10. 29. c. 16. 15. Rom. 2. 13. & Sophoclis commentatore in Oedipo Colon. per *δικαιον νεκρον*, à Saïda per *δικαιον νομιζεν* exponitur. In Scripturis certè sanctis, aut etiam apud 70, nusquam illo, quo Pontificij volunt, sensu usurpatur, nisi forte quis eò trahere velit locum ex Pl. 73. 13. ubi Interpretes Hebræum *זָכִיתִי לְרַבִּי* per, *ἐδικαιώθη* *τὸν ἁγῶδιος μὲ* reddidere.

4. In forensi igitur illo, quem dixi, usu, hoc loco, ubi de Justificatione hominis coram Deo agitur, accipi vocem oportere, indubitato ostendit, I. oppositio Paulina in Ep. ad Rom. Capit. 5. commatio 16. c. 8. 33. 34. quibus in locis cum ex professo hæc justificatio describatur, opponitur eidem tamen, non, qualitarum vitiosarum infusio, sed condemnatio, vox similiter judicialis. ostendunt II. æquipollentes phrasés, peccata remittete Mar. 2. v. 5. 9. 10. Peccata condonare Coloss. 2. 13. Non imputare Rom. 4. 8. sed tegere peccata Psal. 32. 1. Reconciliare Rom. 5. 10. 2. Cor. 5. 19. Non vocare in judicium Psal. 143. 2. Non condemnare Ioh. 3. 18. c. 5. 24. quæ, quid sit justificare, Synonimon ipsarum, hoc in loco, optimè declarant. Imprimis III. manifestus est Pauli sermo Act. 13. 38. 39. Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiat, & ab omnibus, à quibus non potuistis in Lege Moysi justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur. Ubi & per Remissionem peccatorum, ut vides, exponitur, & cum à peccatis justificari dicimur, idem esse quod absolvi, sive liberum pronuntiar, liquidò indicatur. Nec IV. dissentiunt Patres, qui quamvis sapius Latine compositionis ductum sequantur, & justificari habitualiter,

ter, pro justum effici, exponant, non raro tamen evidentia rei in rectum reducuntur tramitem, & nobiscum relativè explicant, pro justum reputari & absolvi à peccatis. Sic *August.* Tom. 3. de *Spir. & Lite.* c. 23. *Aut, inquit, ita dictum est, justificabuntur autem gratis, ac si diceret, justii habebuntur, justii deputabuntur, sicut dictum est de quodam, ille volens se justificare, id est, ut justus haberetur & deputaretur.* Et in *Psal. 31.* idem inquit, *si justificatur impius, ex impio fit justus. sed quomodo? Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum.* *Oecumenius* autem in 3. cap. Ep. ad Rom. *Iustitia Dei est Iustificatio ex Deo, absolutio ac liberatio à peccatis, à quibus lex ipsa absolvere non potuit. Quomodo fit justificatio? per remissionem peccatorum, quam in Christo Iesu consequimur.*

5. Eam ob causam frivolum est, quod *Duraus* contra *Witakerum* fol. 245, quærit, *At quæ Scriptura docuit, justificationem à Sanctificatione distinguere?* nec minus imperitè *Bellarmin.* l. 2. de *justif.* cap. 3. *Hoc ipsum, inquit, est justificari, ita, ut justificatio duo illa contineat, purgationem, sive ablutionem, & sanctificationem.* Confundunt enim boni viri diversissima, quorum unum est individuum, alterum dividuum & per gradus & successivè perficitur, quæq; ad eò efficiente proxima, subjectò, forma, effectis maximè distingvi, tradunt Sacrae literæ.

6. Genus justificationis fecimus *Actionem Dei*, ex *Rom. 8. 33. c. 3. 30. c. 4. 6. Gal. 3. 8. Patris* scilicet, cui *1. Ioh. 3. 1. Filij*, cui *Esa. 43. 25. & Spiritus sancti*, cui *1. Cor. 6. 11.* justificatio nostra tribuitur. quam ob causam *justitia ipsa, justitia Dei Rom. 1. 17. c. 3. 21. 22. c. 10. 3. justitia ex Deo Phil. 3. 9.* ab hoc justificante denominatur.

7. *Objectum*, circa quod versatur hæc Divina actio, quodque, ut fieri solet in actionibus, *Materialis causa* vicem præstat, est homo peccator, pœnitens tamen. Homo dico, non animus hominis. sive ipsa ejus voluntas, in qua justitia tanquam in subjectò & sede proprià commoretur, ut vult *Bellarmin.* lib. 1. de *just.* cap. 2. ad partem referès quod totius est, & justificationem cum justitià, actionem cum qualitate, imputatam justitiam cum inhirente sanctimoniam iterum confundens. Nobiscum autem sentit *David, Beatus VIR, cu non imputavit Dominus peccatum psal. 32. 2. & Paulus Rom. 3. 28. Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Adde pec-

cator, scriptoræ itidem ductum secutus Rom. 4. 5. *credenti in eum, qui iustificat impium*, Neq; enim post lapsum Adæ quisquam fuit hominum, excepto solo Christo Heb. 7. 26. qui à Deo fuerit iustus reputatus, & à peccato fuerit immunis, ut indicant universales sententiæ Jobi 14. 4. Rom. 3. 23. c. 5. 12. c. 11. 32. I. Iohan. 1. 10. à quibus qui excipiunt *benedictam illam inter omnes Mulieres virginem* Luc. 1. 28. opinionem, à *Canonicis Lugdunensib.* circa annum Domini 1136 in officia Ecclesiastica primum introductam, à Bernharδο tum temporis graviter reprehensam, à *Scoto* iterum circa annum Dni 1300 sub schemate possibilitatis & probabilitatis restauratam, à sectatoribus deinde & fratribus eiusdem (*Franciscani*) ordinis absolutè veram pronuntiatam, à concilio *Basileensi & Sorbona* confirmatam, à Franciscano deniq; Pontifice *Sixto Quarto* circa annum Dni. 1476 à nota hæreseos, non argumentis sed plumbeâ bullâ vindicatam, secuti; nã illi privilegia sua Filio, Deo, adimunt, ut matrem, hominem, honorent, aut potius contumeliâ afficiant. Nam quod non ita dicitur, ut est, etiam si honor videatur, contumelia est, rectè ait *Cassianus* de Incarnat. lib. 1.

8. Non tamen circa quemvis peccatorem versatur hic divinus actus: ad poenitentes eum restrinxi, qui de peccatis doleant Psa. 51. 5. & iram Dei expavescant ibidem v. 19. Esa. 66. 5. Solentur autem se Christi merito Rom. 4. 24. 25. & deinceps ope Sp. S. Tit. 3. 5. fugituri sint peccata, & fructus poenitiæ dignos edituri Matt. 3. 8. Act. 26. 20. Sic itidem restringit Scriptura Act. 10. 43. Rom. 3. 26. Luc. 24. 47. Qui nempe in impoenitiâ & impietate suâ de justificatione sibi blanditur, imponit non minus stolidè quam miserè sibi ipsi, & dum iustitiam, amorem Dei, justificationem, communionem cum Christo, cœlos ipsos vanâ imaginatione præcipit, rectâ & hei dolor! tritâ frequentiq; viâ ad gehennam, ni resipiscat, ducitur,

9. Summa & prima efficiens justificationis causa est Dei Gratia ex Rom. 3. 24. Tit. 3. 7. hoc est, Misericordia, Benevolentia, & Gratuitus Favor Dei, non autem *Divina qualitas, in anima hominis splendoris aut lucis adinstar, inherens, que animarum maculas omnes deleat, ipsasq; animas pulchriores & splendidiores reddat, ut Catech. Rom. capite de Baptis. interpretatur. Videatur etiam Costerus in*
Ench.

Ench. de justis ubi Gratiam Dei, nominat *Divinum & admirabile*
Sp. S. donum, & qualitatem divinitus infusam anima, quã non aliter
fugentur peccata, quã tenebrę adveni luminis Pag. 231. *ut sit in homine*
nullum peccatum, quod damnationem mereatur p. 232, *ut efficiantur*
Dei amore digni, p. 233. *neg; enim est Deus instar hominum, qui indig-*
nos amare solent p. 232.

10. Quanquam enim *Gratię* vocem de donis infusis ali-
quando usurpari non negemus, ut videre est ex 1. Cor. 12. 4, hic
tamen pro misericordia & favore Dei accipi, evincit 1. Collatio lo-
corum sacre scripturę, quorum in uno effertur per gratiam, quod
in altero explicatur per misericordiam. Sic nempe Eph. 2. 8. dicit
Paulus, Gratiã nos salvati, at in Ep. ad Tit. 3. 5. dixit, *ex misericordiã*
Dei nos salvos fieri, quomodo & in ipsa Epistola Pauli ad Eph. cap.
præallegato v. 4. & 5. per misericordię vocem, gratiam exposuerat.
Sic 11. Septuaginta interpretes itidem Gratiam & misericordiã tan-
quam Synonima usurpaverunt. Nam ¶ mox ipsis est $\text{χ}α\rho\iota\varsigma$ mox
 $\text{ἐ}λεος$. Gen. 18. 3. Abraham dicit $\text{ἐ}ἰ$ $\text{ἔ}στιν$ $\text{χ}α\rho\iota\varsigma$ $\text{ἐ}νωπ\iota\omicron\nu\sigma$.
At Loth c. 19. 19. $\text{εὐ}ρο\iota$ δ $\text{π}α\iota\varsigma$ σ $\text{ἐ}λε\text{ος}$ $\text{ἐ}νωπ\iota\omicron\nu\sigma$. ipse Moses
Num. 11. 11. inquit $\text{ἄ}ρα$ $\text{ἡ} \text{ἐ}ὐ\sigma\eta\kappa\alpha$ $\text{χ}α\rho\iota\varsigma$ $\text{ἐ}νωπ\iota\omicron\nu\sigma$. at statim
v. 15. subiicit, $\text{ἐ}ἰ$ $\text{εὐ}ρο\iota\kappa\alpha$ $\text{ἐ}λε\text{ος}$ $\text{ὡ}σ\tau\omicron\varsigma$ $\text{σο}ἰ$. Similiter & Hebręis
permutantur ¶ & ¶ Illud usurpatur de Josepho inveniēte
misericordiam apud *Potipharem* Gen. 39. 4 & præfectum carceris
ibidem v. 21. De eodem autem, *Pharaonis* benevolentiam & favo-
rem adeptus, usurpatur ¶ Gen. 47. 14. quę ipsa etiam vox ibi-
dem apud Senes $\text{χ}α\rho\iota\varsigma$, alias $\text{ἐ}λε\text{ος}$ Deut. 13. 17. Hab. 3. 2. aut
 $\text{δικ}α\text{ιο}σ\text{υ}ν\eta\varsigma$ redditur Ps. 73. 11. Sic argumentor, causa & causatum sive
effectus non sunt idem. Certum hoc, nec quisquam negabit, nisi
qui rem simul esse & non esse dixerit. At gratia est causa donorũ
infusorum, & dona infusa sunt effecta gratię Gal. 5. 22. E. Gratia
& dona infusa idem non erunt. Huc facit iv. quod Paulus distin-
ctis ea nominibus effert. Nam Gratiam vocat $\text{χ}α\rho\iota\varsigma$ Rom. 5.
15. Donum ipsam $\text{χ}α\rho\iota\sigma\mu\alpha$ v. 16. v. Speciatim contra Bellarmin.
sic concludo. Quod designat Gratia in negotio Electionis, idem
designat in negotio justificationis. Propositioni huic fidem facit
Paulus 2. Tim. 1. 9, docens, gratiam, qua justificemur & salvemur,
non

non esse diversam ab eâ, qua eligamur. At Gratia in negotio electionis, significat Gratuitam Dei misericordiam, non qualitatem nobis inhaerentem. id ipse *Bellarmin.* l. 2. de *Gratia & libero Arbitrio* cap. 10. multis probat. Ergo in negotio justificationis Gratia Gratuitû Dei favorem, non autem qualitatem nobis inhaerentem significat.

II. Gratia igitur, id est misericordiae Divinae, cum justificatione nostra tribuitur, non tantum tolluntur à *Scoto* conficta *merita de congruo*, sed omnibus etiam qualibuscunq; & quantiscunq; hominum operibus legalibus, justificandi vis adimitur. Hinc enim enascitur nobilis illa & famosissima in hoc articulo *Paulina oppositio*, inter Gratiam & opera, quod si gratia justificemur, non operibus, aut si operibus, non gratia. *Rom.* 9. 30. 31. 32. c. 11. 6. *Gal.* 2. 16. Sunt scilicet opera lege (morali) à Deo praescripta, per se, & in se grata Deo, & ipsa strictè & rigidè sumpta iustitia, adeo, ut qui ea fecerit, jam non per gratiam justus, & aeternâ vitâ dignus pronuntietur, sed ex debito & merito. *Rom.* 4. 4. Quod si igitur contra ex gratiâ, & non ex debito, iusti & aeternâ vitâ digni pronuntiamur, utiq; non praestitisse nos opera lege praescripta, necessario consequitur. Nec verò inter se componi eadem possunt, vel per unionem inconfusam, vel per mixtionem, ut partim operibus servemur, partim gratiâ, supplente eadem id, quod desit operibus. Apud *Persas* ea lex valuit, ut cum quis in iudicio argueretur aliquid fecisse contra leges, etiamsi liquidò constaret, eum culpae affinem esse, non tamen statim condemnaretur, sed prius inquireretur diligentissimè in omnem illius vitam, inireturque ratio, plurane turpiter & flagitiosè, an benè laudabiliterque gessisset, tum si praeponderabant honesta turpibus, absolvebatur, merentibus ita factis ipsius, sed interveniente tamen gratia, quae pro justo bonoque habebat, non, qui nunquam peccasset, sed qui saepius honestè egisset. Divinum autem Tribunal ignorat mixtionem istam, coram quo damnatur, qui ex operibus justificari vult, si vel semel tantum contra legem egerit *Deut.* 27. 26. ex gratia autem justificatur nemo, nisi qui in solidum omnia gratiae, nil meritis adscripserit *Gal.* 3. 10. *Rom.* 11. 6. *Gratia non est Gratia ullo modo, si non sit Gratia omni modo.*

Quare

12. Quare releganda sunt ex negotio justificationis coram Deo, omnia, speciosissima quamvis & maxime Deo grata, Legis opera, ut quæ in fidelibus placent quidem Deo, sed Deum non placant, omnia inquam sunt seponenda, Legis non tantum Ceremonialis, sed etiam Moralis, nec tantum facta ante fidem, per solas vires liberi arbitrij, ut vult Bellarm. lib. 1. de just. c. 19. sed etiam ex fide & gratiâ facta. Equidem non tantum ceremonialis legis opera excludi, ipse Bellarm. contra complices docet dicto loco, & manifestum est ex Apostolo, ea se de lege loqui testato, *per quam est agnitio peccati Rom. 3. 20. & totus mundus, etiam Pagani, ad quos non pertinebat ceremonialium observatio, pronuntiantur rei coram Deo ib. v. 19.* quæque habet additum fulmen maledictionis divinæ, & promissionem vitæ æternæ Gal. 3. 11. 12. 13. cujus sanè summam repetitam vides Luca 10. 27. Alterum autem, *opera etiam ex fide facta excludi*, non minus perspicue docet Paulus, tunc quoque cum ponit fidem, removens opera Rom. 3. 24. 25. Gal. 2. 16. c. 3. 11. Docent rationes Paulinæ, quicquid ad legem pertineat Gal. 3. 2. Phil. 3. 9. & quicquid nobis in nobis gloriandi materiam præbeat Rom. 3. 27. à justificatione excludendum esse indicantes. Docent exempla à Paulo allegata, *Abrahami Rom. 4. 1.* qui in ipso quasi flore aut *ἀκμῆ* pietatis jam tot annos fidelis, jam renovatus, jam obædientiæ & pietatis plurimis ipsiq; clarissimis exemplis editis, ex operibus tamen non justificatur Gen. 15. 6. Rom. 4. 2. & *Davidis Psal. 32. 1.* Rom. 4. 6. qui jam tum servus Dei ps. 143. 2. custodiens mandata Dei ps. 18. 23. ex operibus tamen justificari non potuit Rom. 4. 6. & ipsius *Pauli exemplum*, qui cum esset *in omni conscientia bona conversatus Act. 23. 1. & studisset sine offenculo conscientiam habere bonam apud Deum Act. 14. 16. in eo tamen justificatus non fuit 1. Cor. 4. 4. Sed habuit justitiam quæ ex Christo est, & non justitiam suam*, quæ ex lege est. Phil. 3. 8. 9.

13. Hæc verò cum ita profiteamur, & omnia nostris meritis derogamus, misericordiæ autem divinæ nil non tribuimus, nolimus tamen interea meritum Christi exclusum, gratiæ subordinandum cum Paulo Rom. 3. 24. non opponendum, cum Socino de servat. parte 3. cap. 2. Extollimus enim Dei gratiam, sed ita, ne tollamus ejusdem Veritatem & justitiam: justitiam, quæ peccato-

B

res

nes dignos morte deputat Rom. 1. 32. & solos implentes legem iu-
stos pronuntiat Rom. 10. 5. Gal. 3. 10. veritatem autem, quæ quod
Deus dicit, facit, atq; ideo, cum legem transgredientibus, mortis
supplicium fuerit Divinitus indictum Gen. 2. 17. peccata sine pœ-
nâ mortis non dimittet Conf. Heb. 9. 22. Nos vero quàm non im-
pleamus legem, id cuiq; dicitur conscientia, & paulo ante dictum
fuit. Abriperet igitur ad pœnas Veritas, quos iustitia transgresso-
res pœnâ dignos reperit? Abriperet sine dubio, nisi intervenisset
Filius Dei, *Mediator Dei & hominum* 1. Tim. 2. 5. & pœnas, quas
nos debebamus, luisset Esa. 53. 5. 6. & legem pro nobis implevis-
set Gal. 4. 4. Matt. 5. 17. ut, peccatores qui sumus in nobis, in ipso
essemus iusti 1. Cor. 1. 30. & qui pœnas merebamus, luente ipso, à
pœnis evaderemus liberi Gal. 3. 13.

14. Meritoria igitur salutis nostræ causa Christus est, vita
& morte sua pro nobis iustitiæ Divinæ satisfaciens. Quod ipsum
cum negent acerrimè hodiè novelli *Photiniani* sive *Sociniani*, in-
faustum suum *Faustum*, totis libris, De *Servatore* contra *Coverum*
meritum Christi satisfactorium refellere, & *Bernhardi de Abailardo*
sociorumq; de quibus *Cent. Magd.* centuria 12. capite 5. p. 848. seq.
hæresin rursus interpolare conatum insecuti, *Catech. Racov. cap 8.*
pag. 261. Ostorod. contra Tradelium, Smalzius contra Smigle: nos
præter Analogiam Sacrificiorum legalium tanquam typorum, &
sacrificij Christi tanquam antitypi Heb. 8. 4. c. 9. 13. c. 10. 1. seq. Lev.
17. 11. Præter etiam manifestissima scripturæ dicta, de Redempti-
one satisfactoria Apoc. 5. 9. 1. Cor. 6. 20. Heb. 9. 12. 1. Tim. 2. 6.
Col. 1. 14. 1. Pet. 1. 18. 19. 2. Pet. 2. 1. Propitiatione Dei per Christi
Sanguinem partâ. Rom. 3. 25. 1. Ioh. 2. 2. c. 4. 10. Culpæq; & pœ-
narum in Christum derivatione Esa. 53. 4. seq. liquido testificantia
opponimus etiam ijs hunc Syllogismum fabricatum ex 2. Cor. 5. 14.
sic inde colligo: Cujus, dum moritur, pro altero, mors ita ac-
ceptatur, ac si alter ille, ipse mortuus fuisset, is certè vice & loco al-
terius moritur At Christi, dum pro nobis moritur, mors ita ac-
ceptatur, ac si ipsi mortui fuissetus Sic disertè Paulus *Κεῖνον ἡ-
μεῖς, ὅτι ἐπὶ αὐτῷ πάντων ἀπέθανεν, ἀπὸ ἡμῶν ὡς ἀπέθανεν*
loco præallegato. E. Christus dum pro nobis moritur, vice seu lo-
co nostrū mortuus est, morsq; adeo ipsius vere fuit satisfactoria.

Cave

15. Cave autem *activam*, ut in Scholis loquimur, *Christi obedientiam*, id est, actualem Christi justitiam, qua exactissime omnia legis præcepta servavit, à satisfactione hæc & ratione meritoria sequestres, cum Piscatore, & affectis, eorumq; anteambulone *Brandenburgiaco Kargio*, qui tamen errorem illum *Wierberga* retractavit, rectius edoctus à *Doctore Brentio*. Obligavit enim post lapsum nos Divina Lex, non tantum ad pœnam luendam, qui eramus peccatores, sed etiam ad obedientiam perfectam præstandâ, qui volebamus æternæ vitæ participes fieri, quorum neutrum, cû nos vel perferre, vel præstare possemus, utrumq; Christus suscepit, ut non modo per passionem à pœnis nos redimeret Gal. 3. 13. sed & per actionem (*obedientiam*) justos nos constitueret Rom. 5. 19. Hinc dicitur ipse *perfectio legis ad justitiam* Rom. 10. 4. & non sui, sed, *nostri causa factus sub lege* dicitur Gal. 4. 4. 5. sicut nobis natus, nobis datus fuit Esa. 9. 6. Luc. 2. 11. Conferantur tamen præterea Ps. 40. 8. 9. & Heb. 10. 10. nam in Psalmo Christus dicitur *fecisse voluntatem patris & legem habuisse in medio cordis*; & inde sanctificari nos in Ep. ad Hebræos additur. Quare merito ipsi Doctores *Calviniani piscatorianam* illam sequestrationem ægrè ferunt, ut non modo *Piscator* ex literis *Pastorum Gallicanorum Wappinai* congregatorû ad ipsam datis anno 1603. cognovit, sed & cognoscere quivis habet ex *Bucano insit.* Theol. loco 31. q. 14. Polano super Daniel: *Scharpio* de justificatione, à quibus, alioquin fratribus *Piscatorianis*, ex professo dogma illud *Piscatoris* refellitur.

16. Sed & *Pontificij* non unum circa causam meritoriam errant errorem, qui verbi gratia, vel merito Christi meritum sanctorum, cum *animarum Hartulo*, *Compen. Theol. verit. Biela super canon. Missæ*, assuunt, vel Mariam adjutricem Christo in opere Redemptionis, cum suo *Mariali*, adjungunt, vel Christum nequissè secundum strictum justitiæ rigorem, & de condigno Deo satisfacere, cum *Durando* contendunt, vel Christum sensitse iram Dei & dolores infernales, cum *Bellarmino*. negant, vel hominem posse satisfacere pro actualibus peccatis, cum *Bonavent.* pro culpa & pœna æterna, cum *Tappero*, disputant, vel deniq; eatenus tantum agnoscunt necessitatem meriti Christi, ut propter illud nobis conciliaretur infusio justitiæ vel charitatis habitus, quo peccata tol-

tantur & nos verè fiamus inhærenter iusti, quæ jam communis
fermè sententia est.

17. Illam verò satisfactionem, quam nostræ justificationis
causâ abundè Christus præstitit, offert Deus nobis in *Verbo &
Sacramentis*, per fidem acceptandam & appropriandam. Hæc igitur
sunt applicationis instrumenta, sive, ut communiter loqui-
mur, *instrumentales justificationis causæ*, ex parte Dei quidem, *Dei
verbum*, vel in se consideratum Ioh. 6. 68, Rom. 10. 17. 2. Cor. 5. 19.
vel visibilibus Sacramentis vestitum Tit. 3. 5. Mat. 26. 28. ex parte
autem nostrâ, Fides Act. 13. 38. 39. quâ tanquam Spirituali manu,
gratia Dei in Christo fundata, & in Evangelio oblata, apprehenditur.

18. Oblatio illa Dei, per verbum & sacramenta quæ fit,
cum ex consilio Divino generalis sit, & latius, quàm ad electos
solos extendatur, Act. 20. 20. 21. Luc. 24. 47. 2. Cor. 5. 20. non
video ego, quomodo à simulatione & falsiloquijs Sanctum verbi
ministerium vindicare velint, qui Christi satisfactionem, & bene-
ficia per Christum parva ad solos electos restringunt, Calviniani
scilicet. Anne enim veraciter ad justificationem & vitam æternam
vocabuntur per Evangelium, quos ab æterno, absoluto & simpli-
ci odio averfatus Deus fuerit & æternæ damnationi destinaverit? id
ipsi Deputati Synodi Geldricæ in Syn. Dordracena in judic. de se-
cundo articulo Remonstr. non potuerunt capere. *Quomodo, in-
quiunt, ad salutem dici possint vocari, quibus filius Dei, id est ipse vo-
cans non intendit salutem, nos quidem non capimus.* Imò absolute
Molinetus in judicio suo ad Synodum transmissio, pronuntiat, *ut Chri-
stus summo amore amaverit, quos Pater ab æterno odit, & quos scit à
patre ab æterno destinatos ad penam, nemo à se impetrabit ut credat,
nisi qui vult decipi.* Quo itidem jure satisfactio Christi ut fide arri-
piatur, offerri potest ijs, quorum non est Mediator Christus, quo-
rum peccata non expiavit, quibus Deum non reconciliavit, neq; sa-
lutem æternam promeruit? aut quid quæso obsignabit in infantibus
qui (hæc animis multi) reprobos se postea ostendunt, Baptis-
mus, si gratiam ijs nec *Filius* promeruit, nec intendit Pater? O-
mnia ergo vana falsa simulata, hypocritica, nisi tandem statuas cum
ministris *Argentensibus*, Calvinianis illis, in Confessian: 539. eamq;
sententiam secuto & ingenuè professo. *Zanchio, non esse baptizan-
dum.*

dum quemquã infantium, nisi hac cum conditione. si electi sint, hac formula, Ego o Deus hunc baptizo secundum electionem & propositum Divine voluntatis tue; nisi itidem cum Molinæo d. locò p. 407. Non omnes teneri credere, Christum pro se esse mortuum, asseras. Et tamen mi homo, idèò arguuntur & damnantur, quod non crediderint Ioh. 3. 18. c. 16. 9. Damnabitur ergo quisquam, quod non fecerit id, quod non tenebatur facere?

19. Oblatam igitur Gratiam recipit & appropriat nobis fides Ioh. 1. 12. & hinc toties fides justificare in Scripturis dicitur, Rom. 1. 17. c. 3. 30. c. 5. 1. Gal. 2. 16. c. 3. 8. 24. non absolutè, quatenus est qualitas, vel opus, sed relate, quatenus apprehendit Christum veram nostram justitiam, gratiaq; promissionem de merito Christi. Hinc enim est, quod scriptura differens de fide tam frequenter Christi, correlati, meminit Gal. 2. 16. Ioh. 3. 16. Act. 10. 43.

20. Considerari nempe potest fides dupliciter, vel absolutè in naturã suã vel in officio justificandi, prout ingreditur justificationis negotium. Priori modo tres sunt ejus actus, *Notitia, Assensus, Fides*. Notitiam, ex actibus Fidei excludere conatur Bellarm. lib. 1. de just. s. 7. ubi disertè asserit, *per ignorantiam melius quam per notitiam Fidem desinere*. Sic fortasse solaturus, rudes illos, & mysteriorum Christi incuriosos fratres ignorantie, vel assensurus facilè *Colo. Anglo Pontificio*, qui in disputatione *Westmonasteriensi*, in celeberrimo procerum totius regni & omnium ordinum conventu, non sine stupore audientium, palam dicere ausus est, *Dico vobis, ignorantia est mater pietatis*. Ita nimirum cum in tenebris & umbra mortis volutentur aut, ut Sap. liber c. 14. 22. loquitur, *in magno vivant inscitia bello*, tot & tanta mala pacem appellant, populoque persuadent, eam esse fidem & obedientiam, vel ut *Irenæus* loquitur, *Veritatis ignorantiam cognitionem vocant* contra Valent. l. 2. cap. 19. Contra Scriptura à fide notitiam non segregat, cum eam per scientiam Christi Esa. 53. 11. per scientiam salutis Luc. 1. 77. per cognoscere Patrem & Christum Ioh. 17. 3. per agnitionem veritatis 1. Tim. 2. 4. 2. Tim. 3. 7. Tit. 1. 1. explicat, cum itèrè fideles dicit, sapientes esse, & intelligere Ose. 14. 10. Cognoscere Deum Jerem. 31. 34. impleri agnitione voluntatis Dei in omni sapientiã & intelligentiã spiritali Col. 1. 9. accipere Spiritum sa-

scientiæ & revelationit in agnitione Dei, & illuminatos cordis oculos Ephes. 1. 17. 18.

21. Et hoc modo consideratæ fidei objectum adæquatum, est omne, & solum Dei verbum in Scripturis Prophetis & Apostolicis propositum Act. 26. 22. Primarium tamen objectum sunt summa & maximè necessaria Doctrinæ Christianæ capita, quæ fidei articuli dicuntur, quæ non novit tantum fides, sed & assensu suo confirmat, sicut & de omnibus denique promissionibus divinis, sive corporalibus, sive spiritualibus, gratiæ, vel gloriæ non dubitat. In negotio autem justificationis exercit se tantum tertius ille actus, Fiducia, sive fiducialis Christi apprehensio, hoc est non ideo justificat Fides, quod multa novit, & multis assentitur, sed quod Christum, qui unus est nostra justitia, recipit: & proinde in justificandi actu, objectum speciale habet Christum scilicet, sive Misericordiam Dei in Christo Redemptore exhibitam & oblatam in Evangelio.

22. Uerùmque illud, esse scilicet fidem justificantem, fiduciam, & habere objectum speciale, promissionem de gratia Dei in Christo, iterum aegant Pontificij Bellarm. l. 1. de just. cap. 4. 5. 6. 8. Sed non negat Spiritus Sanctus, Christus, Prophetæ, & Apostoli, à quibus Fides *πιστις* 2. Cor. 3. 4. Ephes 3. 12. *ἀληθεύσα* Rom. 4. 21. *ἰσθῆ* Matth. 9. 22. Johan. 16. 33. *περρησία* Eph. 3. 12. Heb. 3. 6. appellatur. Sic 2. Fidei opponit Scriptura hæsitacionem, pusillanimitatem, timorem, metum, dubitationem de promissionibus Marc. 11. 23. Matth. 23. 21. Rom. 4. 20. Iac. 1. 6. Oppositum ergo eis Fides, oppositum significabit. Hinc 3. quod Esa. c. 28. 16. dicit, *Qui confidit* (id enim est *ἰσθῆ* conf 2. Par. 10. 20.) *non praesestinat*, id Paulus Rom. 10. 11. sic exprimit *πιστις ὁ πιστεύων ἐστὶν αὐτῷ & καταχωθήσεται*. credere igitur, scripturæ stylo, notat confidere, a deo que fides est, ut dixi, fiducia.

23. Alterum similiter confirmant aperta Scripturæ testimonia. Ierem. 23. 6. Ioh. 3. 16. Act. 4. 12. c. 10. 43. 1. Cor. 1. 30. unde Paulus Rom. 3. 25. Iohannes 1. Epist. 1. 7. Petrus 1. Ep. 1. 2. in sanguine Christi justificationem fidei sitam docent. Huc pertinent dicta Gal. 1. 4. c. 3. 13. ubi Paulus fide nobis, imo sibi met ipsi satisfactionem.

nem Christi appropriat: Ipsius deniq; *Abrahami*, quem frustra pro se urget *Bellarmin.* l. 1. de just. cap. 8, patris omnium credentium fides respiciebat Christum Gal. 3. 16. Christi mortem & resurrectionem Rom. 4. 23. 24. 25.

24. Hinc jam intelligi facile potest quis & quam orthodoxus sensus sit propositionis nostrarum Ecclesiarum, *Sola fides justificat*, quam tantopere flagellat chorus Pontificius. Nempe Exclulsiva particula, non remouet opera bona *ab actu presentia*, quasi aut fidei & justificationi non adsint aut non adesse debeant Gal. 5. 6. (neq; enim est fides, neq; est iustificatio, ubi non pietas & noua obedientia, ut verissimè & gravissimè contra Pseudo-Christianos docet Iacobus Ep. cap. 1. & 2.) Sed à *communicatione efficientia*, quod in actu justificationis non operentur, Rom. 3. 24. 28. c. 4. 4. 5. cap. 11. 6. Gal. 2. 16. Eph. 2. 8. 9. Tit. 3. 5. Sive, ut in scholis loquimur, non subiectum, sed Prædicatum determinat. Nam cum iustificatio obtingat nobis ex merà misericordià, propter solam satisfactionem Christi, quam verbum & sacramenta offerunt, apprehensam ut hactenus liquidò ostendimus, & verò non Charitatis habitus, sed solius fidei munus sit, apprehendere oblatam gratiam, & satisfactionem, quid quæso aliud ex parte nostri, quam sola fides, ad justificationem concurrere poterit? Hinc utuntur particulis exclusivis ipse Christus & Paulus: Christus particula *μόνον*. *μη φοβῆσθε*, *μόνον πιστευσετε* Mar. 5. 36. *μη φοβησθε* *μόνον πιστευσετε* καὶ σωθησεται Luc 8. 50. Paulus particula *ἐάν μη*: *ὅτι ἐδύνασθε πη ἀνθρώπου* *τῶ* *ἐξ ἔργων νόμου*, *ἐάν μη* *διὰ πίστεως* *Ἰησοῦ Χριστοῦ* Gal. 2. 16. cuius vim ut intelligas confer Matt. 12. 4. Ap. 9. 4. cap. 21. 27. ideo pia quoq; antiquitas non abhorruit à propositione isthac, hoc est, non dubitavit *Christi* & *Pauli* sermonem imitari. Sic circa annum Dni 160. Irenæus dixit in præfat. tertii libri, *Sola fides vera est & vivificat.* & lib. 4. cap. 13. *Fides que est ad Deum, justificat hominem*, & circa annum Dni 230. Origenes in 3. Cap. Ep. ad Rom. *Ad justificandum sola Fides sufficit.* Propterea *Cassander* ipse, scriptor pontificius, improbare istam Propositionem non audeat, *Habet etiam*, inquit *hæc locutio exempla vetustatis*, Nam *origenes* in Ep. ad Rom. *demonstrat FIDE SOLA ABSQ; OPERIBUS aliquos esse justificat.*

ustificatos & Hilarius de Paralytico, *A Christo, inquit, per fidem remissio est, quod lex laxare non poterat, Fides enim sola iustificat &c. per hanc autem solam fidem intelligunt haud dubie, solum meritum & confidentiam operum excludi, ut gratia stabilietur, Consultat. de articulo 410 pag. mihi 29. & 30.*

25. Quaritur hic tamen, An non falsi crimen admiserit Lutherus cum Particulam, solum, in versione Rom. 3. 28. adiecit, quae non extat in textu authentico? *Iesuitae sane quam indignè eo nomine excipiant vitum, & quam contumeliosè Bibliomastigis, sacrilegi, sacrae scripturae falsarii &c. titulis illum propterea differant, dici vix poterit. Audiatur modo Tannerus in Anatom. Aug. Confess. per additionem, insigne & inexpiabile falsi crimen in Spiritu S. & Divinum ejus Verbum admisit Lutherus, in Ep. ad Rom. c. 3. 28. & Paulo post: nimirum quia verus ac incorruptus sacrae scripturae textus, ejus hunc errorem nil juvabat, corruptus ipse, ac falsavit in sua versione textum, addendo particulam, Solum, quae in nullo textu, Latino Graeco aut Barbaro antea in Ecclesia unquam legebatur. Similiter alij, sanè perquam liberales hoc in convitiandi genere.*

26. Sed recolligant se tandem, boni viri & parcius haec effutiant, & quid dicant, recogitent. *Malè cuncta ministrat imperus. Nā* 1. si is inexpiabile falsi crimen committit statim, qui addit particulam exclusivam, ubi in textu authentico non extat, quid fiet tandem de vulgato interprete *Leu. 21. 2. Deuteron. 2. 12. 32. c. 22. 27. c. 32. 39. 1. Sam. 10. 19. c. 18. 8. 2. Reg. 7. 7. c. 19. 11. c. 23. 9. 2. par. 20. 12. Esther 3. 2. c. 4. 13. Job. 17. 1. cant. 8. 1. Jerem. 17. 4. Zach. 8. 19. Ubi particulas Tantum, & sola solus solum, Vulgatus addidit, non occurrentes in textu Hebraico? Quid fiet 2. de Senibus, apud quos occurrit particula *καὶ μόνον* Gen. 3. 11. quae nec in Hebraico textu nec in vulgata versione reperitur: imò 3. ipse Christus hoc stragemate jesuitico feritur qui dictum *Sp. S. Deut. 6. 13. c. 10. 20.* sic recitat, *κύριον τὸν Θεὸν σε προσκυνήσεις, ἢ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις* Matt. 4. 10. cum exclusiva particula itidem in fonte non reperitur qua de re sic *Maldonatus ad Matt. 4. 10. Nec est, illi soli servies. Septuaginta tamen interpretes & Latinus addiderunt, soli, ut sententiam exprimerent cum enim Deus jubet, adorare se, sibiq; servire vetat alium adorare Deum & servire illi. 14. Hoc. idem Iesuita responsum,*
respon-*

responsum sibi habeant *Jesuita*. Non, inquam est in Græco, sola fide Justificari, sed fide justificari. Lutherus tamen addidit, Solâ, ut exprimeret sensum. Cum enim fide & non operibus justificari dicit Paulus, excluduntur opera, & soli fidei justificandi actus vendicatur. Præsertim v. cum hic genius sit patriæ linguæ, ut cum de uno quippiam affirmamus, de reliquo autem negamus, addi soleat in affirmatione vox exclusiva. Hinc vi. eodem modo Syrus interpret in Ep. ad Rom. c. 4. 5. vertit, *illi vero qui non operatus est, sed credidit Modo* (Balchud) *in eum qui justificat peccatores*, ubi itidem Spiritus Sanctus exclusionem non utitur. Sic vii. Italia Venetijs excusa anno 1546. inserit eandem Gal. 2. 16. *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legi, nisi per fidem Jesu Christi*: in Italico est, *ma solo per la fede*. Deniq; octavo testantur cordati viri etiam in Bibliis ante Lutherum editis Rom. 3. legi *Allein durch den Glauben ohne der Werck*.

27. Iam porro de formali causâ justificationis quinq; diversas nos alere sententias Bellarm. l. 2. de Justif. cap. 7. Scribit, impudentius *Salmeron*, *Lutherani*, ait prope ad 22. *opiniones de justificatione inter se pervenerunt*, in Ep. ad Gal. *Disp.* 7. qui, si modo suos intuerentur, næ illi satis dissensionum reperturi essent, etiam si nostris nullas affingerent. Quæ tamen vera, eaq; sacris literis conformis nostrarum Ecclesiam sit sententia, ex dictis facile liquet. Brevissimè loquendo, cum ex gratiâ, sive misericordiâ merâ, sine operibus nostris, propter solam Filij Dei obedientiam, justi coram Deo pronunciemur, non poterit formalis causa esse, qualitas, vel justitia nobis in hærens, sed peccatorum remissio, & imputatio justitiæ Christi, sive uno verbo, *obediencia Christi per fidem apprehensa imputatio*.

28. Hoc quidem nemo negavit Pontificijs, formam, quâ quis intrinsecus justus sit & dicatur, justitiæ habitum seu qualitatem in hærentem esse. Nam in hærentis justitiæ non poterit forma nisi interna esse. Sed cum hic justificatio scripturæ, ut docuimus, phrasi pro actu judicis usurpetur, pro æstimatione, judicio & dictione sententiæ, quâ justos Deus nos pronuntiat, non propter nostram, in hærentem nobis, justitiam, sed gratis propter Christum, fide apprehensum, non potest unq; in hærens justitia forma
C
justitiæ

Justificationis coram Deo dici. Hinc justitia nostra dicitur *χρῆστος*
ἐγὼν νόμος Rom. 3. 28. justitia non propria cap. 10. 3. justitia non
nostra Phil. 3. 9. Imò gratiæ iustificandi opponuntur perpetuò in
Scripturis opera, & sic simul interna justitia, habitusq; charitatis.
Rom. 4. 5. cap. 11. 6. Gal. 2. 21. Id ne ergo in Justificatione formæ
habeat rationem, quod oppositum est gratiæ iustificanti, & à ju-
stificatione excluditur.?

29. Contra ergò per imputatam Christi obedientiam justos
nos in oculos Dei constitui, ut per & propter Christi passionem à
peccatorum poenis liberi, per justitiam autem ipsius, qua legem
implevit, justis & æternis præmiis digni pronunciemur, disertè do-
cet scriptura, cum beatitudinem & Justificationem nostram, per
remissionem peccatorum, imputationem Justitiæ, occultationem
& non imputationem delictorum, definit Rom. 4. 6. ex psal. 32. 2.
2. Cor. 5. 19. cumq; Christum nostram justitiam docet. Iere. 23. 6.
2. Cor. 13. 2. Cor. 5. 21. Rom. 10. 4. Hinc etiam justitia nostra, dicitur
justitia in sanguine Christi Rom. 5. 9. justitia per obedientiam Chri-
sti ibid. v. 19. justitia imputata à Deo cap. 4. 6. 10. 11.

30. Confili ergo oraculis divinis nihil moramur *Tridentini-*
num anathema, quo feriuntur sess. 6. can. 10. qui dixerint, *homines*
per Christi justitiam formaliter justos: multo minus formidamus
Cavillationes Pontificiorum, qui doctrinam de imputatione justi-
tiæ Christi amentissimam insaniam cum *Andræo, Mathematicum*
Solidianum commentum, cum *Wilhelmo Rainoldo*, adumbratam
& putativam justitiam, cum *Bellarmino* appellare non dubitent, *Me-*
lius Cassander de justitia id est merito & satisfactione Christi nobis im-
putata, hoc est, nobis, ac si propria esset, attributa, Scriptura satis aperte
loquuntur, & citat porro Bernhard. Ep. 119. Assignata est homini justi-
tia aliena, qui caruit sua. Nam si unus pro omnibus mortuus est, igitur
omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, si-
cut omnium portavit. justum me dixerim, sed illius justitia, que nam
ipsa? Finis legis Christus ad salutem omni credenti. Qui factus est,
nobis justitia à Deo patre. que ergo mihi justitia facta est, mea non est.
& ex eodem in Cant. Ego quoq; misericordias Domini in æternum
cantabo numquid in justitias meas? Domine memorabor justitie tue so-
lus. ipsa enim est mea, nempe factus es in mihi justitia à Deo, numquid
vereris.

verēdū est, ne nō jam ambobus sufficiat. Non est palliū breve, quod secundum Prophetam, non potest operiri duos. in consult. p. 31. & 32.

31. Ultimo loco Finalem causam in definitione duplicem adjeci. Consideratur enim finis vel Dei, vel nostri respectu. Respectu Dei, finis justificationis est gloria Divina, quam in hoc actu luculentē manifestat, per justitiæ & misericordiæ declarationem. Sic inveniēte Apostolo Rom. 3. 24. 25. & in rei summā non dissentiente Bellarm. Finis (inquit lib. 1. cap. 2. de just.) justificationis impij est gloria Dei & Christi. Respectu autem nostri in hac quidem vita finis, est pax & tranquillitas conscientiæ, quod iterum docet. Apost. Rom. 5. 1. In altera autem Salus & hæreditas æternæ vitæ 1. Pet. 1. 9. Rom. 6. 22. Tit. 3. v. 5. 7.


32. Cum sine altero justificationis, à Paulo ad Rom. 5. 1. indicato, tranquillitate scilicet conscientiæ, consistere nequit Malvendæ in Coll. Ratispon. anno 1546. propos. 11. & 30. *Eis*, inquit, certum sit, omnia peccata, quæ ullo unquam tempore remissa sunt aut remittuntur, per sanguinem propitiatoris remitti, tamen cum quis firmiter & certo statuit sibi remissa esse peccata, non habens conditionis suæ & infirmitatis rationem, judicio magis temerario, quam scripturæ auctoritate ducitur. Quæ sententia licet communior sit, apud Pontificios ut ex Bellarm. l. 3. de justif. cap. 11. discimus, contraria eadem tamen est Divinis oraculis Eph. 3. 12. Jac. 1. 6. 1. Ich. 3. 14. probatis exemplis Rom. 4. 8. c. 4. 38, 39. fidei naturæ Heb. 11. 1. & ipsi Spiritus Sancti justificationi Rom. 8. 16. 1. Cor. 2. 12. adeoq; ab ipsis Doctoribus Pontificijs Catharino, Eisengreinio, Cassandro, graviter refellitur.

COROLLARIUM.

Gratiam Justificantem non posse hominem ullo pacto, nequidem de congruo promereri, satis ingenuè confitetur *Cassander* in *Consultat.* p. 55. inquit, *De operibus impiorum uno ore pronuntiant omnes, nil illis inesse meriti & virtutis, ad gratiam Dei, quæ justificantur, conciliandam eo, quod non oriuntur ex fide & gratiâ, qui fons est bonorum operum &c.* Sicut & *Catharinus* in *Concilio Tridentino* cum *Dominicanis* strenuè urgebat, *Meritorum de Congruo* opinionem & mentionem abolendam esse maximè, quod *priscis Ecclesiæ temporibus inter tot cum pelagianis con-*

tro

proverſias eorum nomen fuerit inauditum, Scriptura converſio-
nem noſtram Deo adſcribente, à cujus formulâ loquendi. latum
unguem nos diſcedere non conveniat. Nihil tamen obtinue-
runt iſta monita in Concilio Trid. Vicere clamores Sco-
tiſtarum, qui cum fremitu & indignatione vociferaban-
tur, Deum niſi gratiam largiretur ijs, qui pro viribus incum-
bant, fore iniquum, partibus obnoxium, perſonarum accepto-
rem, non eſſe aliam rationem, cur huic potius, quam illi gratiam
impertiat, aliter qui ſentiat, impellere eum homines ad deſpe-
rationem, vel bonarum actionum neglectum, & ad malefacta ex-
cuſandum improbis viam patefacere. Maximo ideoq; artifi-
cio dedere operam Architec̃ti Canonum Tridentino-
rum, ita ut formarent etiam hæc in re Cothurnos De-
cretorum ſuorum, ut cuius non pedi, quod alias di-
citur, ſed capiti apti eſſent, quam ob cauſam etiam ad-
huc in tanta luce Evangelij Jeſuitas non pudet meritum
de congruo defendere. Sic enim Bellarm. lib. 5. de Juſtif.
cap. 22. Potest homo nondum reconciliatus per opera pœniten-
tiæ impetrare & mereri ex congruo gratiam juſtificationis &
Salmeron diſput. 10. in Epist. ad Galat. pag. mihi 36. ait Il-
lud tantum occurrit hoc loco conſiderandum, à concilio Tri-
dentino meritum Juſtificationis excludi: nam, nec ipſam fidem,
nec reliquas diſpoſitiones illam promereri aſſerit, Et intellige
merita condigni ſive juſtitiæ: nam Merita congruentiæ ſive
Decentiæ, quæ ſoli Dei Liberalitati inuituntur, multi agnove-
runt. Nos autem quærimus cum Paulo ex Epist. 1. ad
Corint. 4. 7. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod
accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quaſi non accepe-
ris? & concludimus ex epist. ad Eph. 2. 8. 9. 10. Gratia
eſtis ſalvati per fidem (& hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt)
non ex operibus, ut ne quis gloriatur Ipſius enim ſumus factura,
creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit DEUS
ut in illis ambulemus.



verēdū est, ne nō jam ambobus sufficiat. Non est palli-
cundum Prophetam, non potest operiri duos. in consul-

31. Ultimo loco Finalem causam in definiti-
adjeci. Consideratur enim finis vel Dei, vel nostr-
spectu Dei, finis justificationis est gloria Divina,
ctu luculentè manifestat, per justitiæ & misericor-
nem. Sic inveniuntur Apostolo Rom. 3. 24. 25. & in
dissentiente Bellarm. Finis (inquit lib. 1. cap. 2. de
tionis impij est gloria Dei & Christi. Respectu
hac quidem vita finis, est pax & tranquillitas cos-
iterum docet. Apost. Rom. 5. 1. In altera autem Sal-
æternæ vitæ 1. Pet. 1. 9. Rom. 6. 22. Tit. 3. v. 5. 7.

32. Cum sine altero justificationis, à Paulo
dicatur, tranquillitate scilicet conscientie, consiste-
vendæ in Coll. Ratispon. anno 1546. propos. 11. &
certum sit, omnia peccata, quæ ullo unquam tempore
remittuntur, per sanguinem propitiatoris remitti, tam-
miser & certo statuit sibi remissa esse peccata, non habem-
& infirmitatis rationem, judicio magis temerario, qua-
toritate ducitur. Quæ sententia licet communior sit
cios ut ex Bellarm. l. 3. de justif. cap. 11. discimus, co-
tamen est. Divinis oraculis Eph. 3. 12. Jac. 1. 6. 1. Col
exemplis Rom. 4. 8. c. 4. 38. 39. fidei naturæ Heb. 11. 1.
S. justificationi Rom. 8. 16. 1. Cor. 2. 12. adeoq; ab ip-
Pontificijs Catharino, Eisengreinio, Cassandro, gravite-

COROLLARIUM.

Gratiam Justificantem non posse homin-
cto, nequidem de congruo promereri, sa-
confitetur Cassander in Consultat. p. 55. in qu-
ribus impiorum uno ore pronuntiant omnes, nil
riti & virtutis, ad gratiam Dei, quæ justificante
dam eò, quod non orientur ex fide & gratiâ, qui-
rum operum &c. Sicut & Catharinus in Concilio
cum Dominicanis strenuè urgebat, Meritoru-
opinionem & mentionem abolendam esse
quod priscis Ecclesiæ temporibus inter tot cum pe-

